



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

6 Vtrum plures poßint baptizare simul vnum, & eundem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

articulo necessitatis baptizare potest, si duo non baptizati se invicem baptizent, dum prius unus baptizaret alium, & postea baptizaretur ab eodem, consequeretur uterque non solum sacramentum, sed etiam rem sacramenti. Si vero extra articulum necessitatis hoc fieret, uterque, grauitur peccaret, scilicet baptizatus & baptizatus: & per hoc impediretur Baptismi effectus, licet non tolleretur ipsum sacramentum.

In cons. A. A. c. 13. A. 90. dicitur in d. 1. in p.

Ad primum ergo dicendum, quod homo baptizans adhibet tantummodo ministerium externum, sed Christus est, qui interius baptizat, qui potest uti omnibus hominibus ad quodcumque voluerit: et ideo non baptizari possunt baptizare, quia, ut Nicolaus Papa dicit, Baptismus non est illorum, scilicet baptizantium, sed eius, scilicet Christi.

Ad secundum dicendum, quod ille, qui non est baptizatus, quamuis non pertineat ad Ecclesiam et vel sacramento, potest tamen ad eam pertinere intentione & similitudine actus, in quantum scilicet intendit facere, quod facit Ecclesia, & formam Ecclesiam seruat in baptizando. Et sic operatur ut minister Christi, qui virtutem suam non alligauit baptizatis, sicut nec etiam sacramentis.

Ad tertium dicendum, quod alia sacramenta non sunt tanto necessitatis, sicut Baptismus. Et ideo magis conceditur, quod non baptizatus possit baptizare, quam quod possit alia sacramenta suscipere.

ARTICVLVS VI.

Utrum plures possint simul vnum baptizare.

Ad id quod dicitur, quod plures possint simul vnum baptizare. In multitudinem enim conuenitur vnum, sed non conuenitur. Vnde videtur, quod quicquid potest facere vnus, possit facere multi: & non e converso: sicut multi trahunt nauem, quam vnus trahere non possit. Sed vnus homo potest baptizare. Ergo & plures possunt simul vnum baptizare.

2. Præterea, Difficilis est, quod vnus agens agat in plura, quam quod plures agentes agant simul in vnum. Sed vnus homo potest simul plures baptizare. Ergo multo magis plures possunt simul vnum baptizare.

3. Præterea, Baptismus est sacramentum maxima necessitatis. Sed in aliquo casu videtur esse necessarium, quod plures simul vnum baptizent, puta, si aliquis paruulus esset in articulo mortis, & adessent duo, quorum alter esset mutus, & alter manibus & brachiis careret, tunc enim oporteret quod mulatus verba proferret & mutus actum Baptismi exerceret. Ergo videtur, quod plures possint simul vnum baptizare.

Sed contra est, quod vnus agens est vna actio. Si ergo plures vnum baptizarent, videretur sequi, quod essent plures Baptismi, quod est contra id, quod dicitur Ephes. 4. Vna fides, vnum Baptisma.

Respondendo dicendum, quod sacramentum Baptismi præcipue habet virtutem ex forma, quam apostolus nominat, verbum vite. Ephes. quinto. Et ideo considerari oportet si plures simul vnum baptizarent, qua forma vterentur. Si enim dicerent: Nos te baptizamus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: dicunt quidam, quod non conferretur sacramentum Baptismi, eo quod non seruaretur forma Ecclesie, que sic habet: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Sed hoc excluditur per formam baptizandi, qua vtitur Ecclesia Græcorum, possent enim dicere, Baptizetur seruus CHRISTI N. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & cetera. Sub qua forma Græci Baptismum suscipiunt, que tamen forma multo magis dissimilis est forme, qua nos vnumur, quam si dicatur: Nos te baptizamus. Sed considerandum est, quod ex tali forma, te baptizamus, exprimitur talis intentio, quod plures conueniant ad vnum Baptismum conferendum. Quod quidem videtur esse contra rationem ministerij: homo enim non baptizat, nisi per minister Christi, & vicem eius gerens. Vnde sicut vnus est Christus, ita

Franc. Suarez Tom. 3.

Secl. II. 231

oportet esse vnum ministrum, qui Christum representet, propter quod signanter apostolus dicit, Eph. 4. Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptisma. Et ideo contraria intentio videtur excludere Baptismi sacramentum. Si vero vterque diceret: Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. vterque exprimeret suam intentionem, quasi ipse singulariter Baptismum conferret. Quod posset contingere in eo casu, in quo contentiose vterque, aliquem baptizare conaretur. Et tunc manifestum est, quod ille, qui prius verba proferret, daret Baptismi sacramentum, alius vero quantumcumque, in baptizandi haberet, nihil faceret, & si verba pronuntiare presumeret, esset puniendus tanquam rebaptizator. Si autem omnino simul ambo verba proferrent, & hominem immergerent, aut aspergerent, essent puniendi de inordinato modo baptizandi, & non de inter omne Baptismi: quia vterque, intenderet non baptizatum baptizare. Et vterque, quantum est in se, baptizaret. Nec traderet aliud & aliud sacramentum, sed Christus, qui est vnus, interius baptizans, vnum sacramentum per vtrumque, conferret.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa locum habet in his que agunt propria virtute. Sed homines non baptizant propria virtute, sed virtute Christi, qui cum sit vnus, per vnum ministrum per se fit suum opus.

Ad secundum dicendum, quod in casu necessitatis vnus possit simul plures baptizare, sub hac forma: Ego vos baptizo, puta, si immineret ruina, aut gladius, aut aliquid huiusmodi, quod omnino moram non pateretur, ut scilicet in omnes baptizarentur. Nec per hoc diuersificaretur forma Ecclesie, quia plurale non est, nisi singulare geminatum: præsertim cum pluraliter dicatur, Mat. h. vlt. Baptizantes eos, &c. Nec est simile de baptizante, & baptizato, quia Christus, qui principaliter baptizat, est vnus, sed multi per Baptismum efficiuntur vnum in Christo.

Ad tertium dicendum, quod (sicut supra dictum est) integritas Baptismi consistit in forma verborum, & in usu materie. Et ideo neg, ille, qui tantum verba proferret, baptizat, neg, ille, qui immergit. Et ideo si vnus verba proferat, & alius immergat, nulla forma verborum poterit esse conueniens, neque enim poterit dici: Ego te baptizo (cum ipse non immergat, & per consequens non baptizat:) neg, etiam poterit dici, Nos te baptizamus, cum neuter baptizet. Si enim duo sint, quorum vnus vnam partem libri scribat, & alius aliam, non erit propria locutio. Nos scripsimus librum istum, sed Synecdochica, in quantum totum ponitur pro parte.

DISPUTATIO XXIII.

De ministro seu causa efficiente sacramentum Baptismi.

In hac disputatione solum est dicendum de causa proxime ministrante hoc sacramentum, nam de causa principali, que est Deus, & de instrumento illi coniuncto, & vniuersali, quod est Christi humanitas, nihil speciale hic dicendum occurrit. De causa vero instrumentali hoc sacramentum, superius in principio huius tractatus dictum est. Rursus de causa ministeriali supponenda sunt omnia, que in superioribus de ministris sacramentorum, in genere dicta sunt, nimirum de intentione, bonitate, aut fide eius, & alia similia, que hic in particulari traduntur à Theologis in 4. dist. 6. nos vero solum addemus ea, que aliquo modo fuerint propria, & specialia huius sacramenti.

SECTIO I.

Quis sit minister simpliciter necessarius sacramenti Baptismi, ut factum teneat.

Primum refertur noua hæresis Caluini asserentis, neminem posse hoc sacramentum ministrare, etiam in casu extrema necessitatis, nisi sit minister Ecclesie ad hoc institutus, & ordinatus. Ita refert Feuarde. in addit. ad Castr. verb. Baptismus, hæref. 6. Bellar. lib. 1. de hoc sacram. cap. 7. qui dicit, hunc hæreticum non satis explicasse, an huiusmodi minister

Calui hærefis.

V 2 ster

Atq; sic fit necessarius, ut sacramentum teneat, an vero solum, ut licite ministraretur. Mirum est autem, quomodo hic hæreticus in hunc errorem potuerit incidere, cum ipse nec veros Episcopos, vel sacerdotes, nec veram eorum Ordinationem agnoscat, sed solâ extrinsecam computationem ex populi, vel Magistratum consensu ad verbum Dei prædicandum, & si quæ sunt alia ministeria peragenda. Adducit autem Caluinus in confirmationem sui erroris, verba Christi Matt. vlt. Buntis docere omnes gentes, baptizâtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Nam ibi ad solos Apostolos, & in eis ad eorum successores Episcopos loquitur.

Matth. vlt.

Sententia asserens ministrum necessarium debere esse baptizatum.

Secunda sententia hic refertur potest affirmans, de necessitate huius sacramenti esse, ut minister eius baptizatus sit. Huius sententiæ videtur fuisse Greg. 2. in Epist. vlt. ad Bonif. Et habetur in ca. Quos à paganis, de Consec. dist. 4. Nam ibi præcipit iterum baptizari eos, quos à paganis consisterit esse baptizatos: pagani enim proprie dicuntur, qui baptizati non sunt.

Augustinus.

August. etiam 2. lib. contra Epist. Parmen. c. 13. & libr. 7. de Bapt. cap. 53. hanc quæst. attingens, eam definire non audet, Sine autoritate, inquit, tanti Concilij, quantum tantæ rei sufficit. Et coniectura adhiberi potest, tum quia non baptizatus nullo modo est Ecclesiæ membrum: ergo nec potest esse minister sacramentorum Ecclesiæ: Tum etiam, quia qui non est consecratus, non videtur aptum instrumentum ad consecrandum alios, sicut nullus consecrat Episcopum, qui non sit Episcopus, neq; ordinat sacerdotes, qui non sit sacerdos, ergo neq; baptizare potest, qui non est baptizatus. Vnde Hieron. Dial. contra Luciferianum ante med. cum dixisset, laicum baptizare posse, subdit: Ut n. accepit quis, ita & dare potest. Et similiter Tertul. l. de Bapt. 17. de eadem re tractâs, inquit: Quod ex æquo accipitur, ex æquo dari potest: ergo eadem ratione, quod acceptum non est, dari non potest. Atq; propter hanc causam videtur dixisse Conc. 1. libert. cap. 38. & eum, qui suum baptismum integrum habet, posse in necessitate baptizare.

Probatur hac sententia.

Hieron.

Tertull.

Conc. Elibe.

Alia opinio, ut sit vir, non foemina. Con. Carth. Clemens.

Tertio opinari quis posset, non quamlibet personam, etiam baptizatum, esse posse sufficientem ministrum Baptismi, sed oportere esse virum, & non foeminam. Nam de foeminis dicit Concil. Carth. 4. can. 10. Mulier baptizare non præsumat. Et Clem. li. 3. const. c. 9. Periculosum esse dicit, iniquum, & impium, mulierem baptizare. Et infra dicit, esse alienum à Christi ordinatione. Alias, inquit, cum nos ad baptizandum misit, vna nobiscum ad id, mulieres misisset, nunc aut id nulquam ordinavit, &c. Vnde Epist. har. 42. & 79. in prin. & Tert. lib. de Bapt. c. 7. inter hæreses Marcionis ponit, quod mulieres permitteret baptizare.

Epiphanius Tertull.

Conclus. 1.

Dicendum vero est primo: Quemlibet hominem, qui loqui possit & lauare, posse esse sufficientem ministrum Baptismi, siue sit vir, siue foemina, fidelis, vel infidelis, baptizatus, vel non baptizatus, dummodo sciat lauare, & verba proferre cum debita intentione. Hæc assertio est omnino terta, & in primis, quod in casu necessitatis, quando scilicet instat mortis periculum, & non adest sacerdos, vel diaconus, vel alius huiusmodi, quod (inquam) in eo casu quilibet possit ministrare Baptismum, definitum est in Concil. Flor. in decreto Eugenij, vbi notanda sunt illa verba, In casu necessitatis, non solum sacerdos, vel diaconus: sed et laicus, vel mulier, imo etiam paganus & hæreticus baptizare potest. Atq; idem ex parte colligitur ex Ioanne Papa 8. in c. Ad limi. 30. q. 1. vbi solum dicit: Laicis fidelibus iuxta canonicam autoritatem, si necesse fuerit, opus baptizandi libere conceditur. Et similia referuntur ex Aug. in c. In necessitate, de Consec. dist. 4. vbi dicitur, laicos in necessitate solere dare baptismum, quem acceperunt. Atq; idem refertur ibid. in c. Constat ex Iud. lib. 2. de officiis, c. 24. vbi solum loquitur de laicis fidelibus, in cap. vero. Sup. quibus, 30. q. 3. Urban. Papa declarat id esse de foeminis:

Conc. Flor.

Ioan. Pap. 8.

Atq; de paganis, seu non baptizatis, declaratum est aliis Ecclesiasticis decretis, quæ statim citabimus. Et ex ipso vsu Ecclesiæ idem colligi potest, ut enim adnotauit Ambros. ad Ephes. 4. in primitiua Ecclesiâ solebant Apostoli, fratribus non ordinatis committere Baptismi ministerium, quando ipsi non poterant per se illud exercere, vt ex Actor. 2. 9. & 10. elici potest, imo ipsi Apostoli, Christo viuentem, baptizabât antequam essent Ordinati, vt in superioribus ostensum est: ergo Ordinatio ministri non est de necessitate huius sacramenti, ergo nec fides, vt supra de sacramentis in genere dictum est, ergo nec baptismus, nec sexus, est enim eadem ratio. Ex his ergo, & ex traditione Ecclesiæ, nobis constat hanc fuisse Christi voluntatem, & institutionem, à qua totum hoc potissimum pendet.

Congruentia vero est, quia Baptismus est sacramentum maxime necessitatis, respectu omnium hominum, ergo expediens fuit, vt illius administratio omnibus concederetur, præsertim necessitate urgente. Et confirmatur, nam propter hanc causam institutus est in materia communi, quæ vbiq; facile reperitur, & in simplicissima actione, ac verbi ergo eadē ratione fuit conueniens, necessarium ministrum huius sacramenti esse valde communem, atq; adeo ministrum hoc cuiuslibet concedi.

At vero dicit aliquis, his testimoniis ac rationi. Obiicitur ad summum probari, in casu necessitatis, quemlibet esse posse ministrum huius sacramenti: non vero, quod extra casum necessitatis id fieri possit, ita vt factum teneat, neq; enim vnum ex altero recte potest inferri, sicut patet à simili, ex sacramento Penitentia, quilibet enim sacerdos simplex, si non adit proprius, potest ministrare illud sacramentum, etiam in materia necessaria seu peccati mortalis, & tamen si extra necessitatem illam, sacramentum illud ministrare tenet, non solum male faciet, sed etiam nihil efficiet: ergo minister, qui in casu necessitatis sufficit ad ministrandum sacramentum, non sufficit extra illum etiam, vt sacramentum collatum teneat, ergo idem esse poterit de Baptismo. Respondetur, quidquid sit de illatione, seu consecratione (quæ reuera non est formalis: potuisset enim Christus, potestatem hanc cum prædicta limitatione, solum pro articulo necessitatis concedere) nihilominus tamen certum esse in presenti materia, hanc potestatem talem esse, vt si quis illa vtatur extra necessitatis articulum, etiam si male faciat, vt infra dicemus, nihilominus factum teneat, vt hic docet D. Thom. art. 3. ad 1. Et est sententia August. libro 2. contra Epist. Parmeniam. c. 13. dicentis, Sed est nulla necessitate vsurpetur, & à quolibet cuiuslibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamuis recte dici possit illicite datum. Quæ quidem verba, vt ex his quæ inferius subiungit, constat potissimum ab ipso intelliguntur de fidei laico baptizante: sed est eadem ratio de infideli vel pagano, si semel admittamus, eum posse in necessitate baptizare. Vnde Nicolaus Papa in cap. A quodam Iudæo, de Consecr. dist. 4. definit, verum esse Baptismum datû à Iudæo sub debita forma, & nihil distinguit, an baptizaret ille Iudæus in casu necessitatis, nec ne, sed generaliter docet, baptizatos ab illo non esse iterum baptizandos. Et similiter in cap. Romanus, eadem distin. generaliter & sine vlla limitatione sic dicitur: Romanus Pontifex non hominem iudicat, qui baptizat, sed Spiritus Dei subministrare gratiam Baptismi, etiam si paganus sit, qui baptizat, & ideo in Decreto Gregoriano, circa capitulum: Siquis per ignorantiam recte corriguntur, seu explicantur verba illius textus, quæ sic habent. Si quis per ignorantiam Ordinatur, anteq; baptizetur, debent ab eo baptizati iterum baptizari. Quæ verba ex Isidoro ibi referuntur, sed non sunt legenda affirmatiue, ita vt ea sententia ab ipso asseratur: sed relatiue, i. quod tanquam falsa aliorum opinio referatur. Eam enim

Cyprianus

Obiicitur

Solutio

Augustinus

Probat

enim statim corrigens Isidorus subdit. Sed Romanus Pontifex, non hominem iudicat, qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam Baptismi, licet paganus sit, qui baptizat. Quod iudicium sedis Apostolicæ ex Gregor. & Sergio Pontificibus ibidem refertur, ex libr. 5. Capitularium, cap. 4. Et hoc etiam confirmat historia illa supra citata de Athanasio, quicum puer esset, Baptismum ministravit absque ulla necessitate, & tamen Baptismus iudicatus est validus. Ex quibus colligitur iuxta communem sensum & traditionem Ecclesiæ, ita fuisse intellectam Christi institutionem, à qua, vt saepe dixi, hæc omnia pendunt.

Congruentia vero adiungi potest: respondendo simul ad obiectionem factam, ex differentia inter Baptismum, & Pœnitentiam. Nam in primis Baptismus est sacramentum maioris necessitatis, quam pœnitentia, non solum in ordine ad vltimam salutem, sed etiam in ordine ad effectus seu fructus diuinae gratiæ in hac vita comparandos, quatenus Baptismus est ianua Ecclesiæ, & veluti primum fundamentum, per quod sit homo capax aliorum sacramentorum, & influxus gratiæ ex opere operato: & ideo in sacramento Pœnitentiæ non potest esse minister quilibet homo in necessitate, sed solus sacerdos, atque ille non in quacunque necessitate, sed in extrema tantum, si materia confessionis sit mortale peccatum. At vero in Baptismo non semper necesse est extremam necessitatem expectari, nam etiam extra illam propter magnam vtilitatem, aut ne cogatur quis multo tempore Baptismum differre, potest illum à laico, vel alio simili ministro recipere. Et ideo fuit conueniens, hanc potestatem concedi absolute, & non limitatam, ad casum necessitatis: saltem quoad hoc, vt sacramentum factum teneat, ne fortasse posset sacramentum in dubium reuocari, occasione necessitatis, si fortasse minor existimari posset, quam sufficeret ad valorem sacramenti. Atque hinc sumitur secunda differentia, nam sacramentum Baptismi iterari non potest, sacramentum autem Pœnitentiæ potest iterari, tum circa eandem, tum etiam circa diuersam materiam: vnde fit, vt in sacramento Pœnitentiæ nihil sit periculi, si contingat sacramentum datum in necessitate à simplici sacerdote non esse validum, quia fortasse non tanta erat necessitas, quantum esse oportebat ad habendam iurisdictionem in tali articulo: quia tale sacramentum, vt dixi, potest facile iterari: quod si non iteretur circa eandem materiam, quia bona fide susceptum est, poterunt illa peccata, saltem per accidens, remitti per aliud simile sacramentum, ex alia materia confectum: at vero sacramentum Baptismi, & iterari non potest, & alioqui maximum homini creatur periculum, si illo priuatur: & ideo oportet, vt ea quæ necessaria sunt ad illud conficiendum, sint omnino fixa & stabilia, ita vt certum sit, illis positis sacramentum confici, siue ad sit vera necessitas, siue non. Tertia differentia est: quia sacramentum Pœnitentiæ pendet ex potestate iurisdictionis, quæ per extrinsecam deputationem ab hominibus datur, vel auferitur, vel limitatur ad casum necessitatis: at vero potestas baptizandi est absoluta facultas ministerialis, ad conficiendum tale sacramentum, quæ non solet limitari secundum substantiam, vel facultatem suam ad casum necessitatis: sed simpliciter confertur, sicut patet in omni alia potestate conficiendi sacramentum, quæ ex iurisdictione non pendet. Et confirmatur tandem: nam si intelligeremus, hanc potestatem dari per impressionem alicuius characteris dati à Christo ad deputandum homines ad hoc ministerium, hoc ipso intelligeremus, sacramentum collatum ab habente talem characterem esse validum, etiam si ille male faceret, vtendo illa potestate extra necessitatem vel alio modo indebito: ergo idem dicendum est, etiam si intelligamus hanc potestatem esse datam à Christo Franc. Suarez Tom. 3.

per solam institutionem & extrinsecam deputationem, seu voluntatem suam, quæ ad hunc effectum æque sufficiens & efficax esse potest.

Ad fundamentum ergo primæ sententiæ in primis dicitur, in verbis illis: Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. non esse datam potestatem baptizandi, quæ est necessaria, vt sacramentum factum teneat: hanc enim multo antea habuerunt Apostoli, qui viuente Christo baptizabant: vnde verissime creditur hæc potestas data hominibus ab eo tempore, in quo sacramentum Baptismi institutum est, nam sicut tunc Christus vim regenerationis contulit aquis, non per impressionem alicuius qualitatis, sed per extrinsecam deputationem, & quasi sanctificationem quandam: ita etiam ex tunc deputauit quemcunque hominem, non per impressionem characteris, sed per voluntatem suam, vt possit esse minister sufficiens huius sacramenti, quamuis non omnibus dederit ius illud administrandi, vt postea dicemus. In prædicto ergo loco dedit Christus Apostolis, & eorum successoribus, præceptum exercendi hoc munus, & speciale ius ministrandi hoc sacramentum ex officio. Deinde, quamuis concederemus, in illo loco esse datam potestatem baptizandi, non sequitur datam esse solis Apostolis, vel Episcopis, seu sacerdotibus: quia tunc Christus loqui potuit ad Apostolos, & discipulos, vt representabant vniuersam Ecclesiam: atque ita recte intelligitur dedisse hanc potestatem cuilibet, qui vt minister huius Ecclesiæ hoc ministerium exercere vellet.

Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur in primis, Gregorium cum rebaptizari præcipit eos, qui à Paganis baptizati fuerant, loqui (vt ita dicam) formaliter de paganis, vt pagani sunt, id est, de his qui in baptizando non seruabant ritum Ecclesiæ, sed paganorum: atque ita explicuit glossa in d. cap. Quos à paganis: ita interpretans verba textus: si ita habetur: id est, quod in forma Ecclesiæ non fuerint baptizati. Quæ explicio potest colligi ex verbis sequentibus: Vt denuo baptizes in nomine Trinitatis. Supponit ergo priorem Baptismum non fuisse datum in nomine. Ad Augustinum respondetur, suo tempore potuisse dubitari, quia nondum erat res ita ab Ecclesia declarata, sicut nunc est. Ad rationem seu coniecturam respondetur, ad priorem partem, Christum Dominum saepe vti, vt instrumento, membro separato ac præciso ab Ecclesia, vel nondum illi actu coniuncto, quia virtus Christi non pendet ex dispositione instrumenti, neque illius virtute nititur. Ad alteram partem respondetur, optime probare, per se non decere, hominem non baptizatum aut infidelem baptizare: non probare tamen, si id fiat, non recte fieri, ita vt factum teneat: aut etiam, vt contententer fiat, si necessitas vrgeat: neque in hoc est par ratio de Baptismo, & Ordine, cum non sit vtriusque necessitas, & ita sunt intelligenda loca Hieronymi, Tertulliani, & Concilij Elibertini ibi citata, non enim asserunt illam rationem tanquam adæquatam: neque requirunt illam conditionem tanquam simpliciter necessariam, sed solum vt magis conuenientem, si fieri potest. Imo prædicti patres solum asserunt, eos, qui Baptismum acceperunt, sicut acceperunt, ita posse illum dare: non tamen addunt exclusiuam: neque dicunt hanc esse propriam vel necessariam rationem dandi. Neque vero est inconueniens, vt aliquis dare possit, quod non accepit, præsertim quando id non facit, vt causa præcipua, sed solum vt instrumentum alterius.

Ad tertiam opinionem respondetur, etiam sceminas in casu necessitatis posse baptizare, vt ex probationibus superius adductis satis constat: Patres vero ibi citati, intelligendi sunt de iure, seu potestate licite baptizandi, vel solemniter, vel per se, & extra casum necessitatis.

Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur.

Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur.

Ad Augustinum respondetur. Ad coniecturam respondetur.

Ad 3. opin.



Quis habeat ius administrandi hoc sacramentum, tanquam minister ex officio ad hoc deputatus.

Titulus explicatur

Hæc quæstio remitti posset ad disputationem moralem infra tractandam: tamen, quia coniuncta est cum præcedenti, facilius hoc loco expediatur. Est igitur imprimis animaduertendum ex dictis supra de sacramentis in genere, præter potestatem conficiendi sacramentum, quæ necessaria est, ut factum teneat, necessarium esse ius administrandi illud, ut licite fiat: hoc autem ius in præsentia materia dupliciter explicari potest: vno modo in ordine ad ipsum sacramentum: alio modo in ordine ad personam baptizandam. Et quidem de hoc posteriori modo nihil speciale addendum occurrit his, quæ in genere de sacramentis dicta sunt. Cum enim administratio sacramenti sit proprium munus pastoris, & requirit iurisdictionem administrantis in eum, cui administratur, vel facultatem eius, qui iurisdictionem habet, multo maiori ratione hoc requiritur in hoc sacramento, quod est ianuam omnium sacramentorum, & regeneratio spiritualis hominum in Christo. Quæstio ergo præsens potissimum tractatur in priori sensu, scilicet ex parte ipsius sacramenti: nam licet dictum sit, omnibus hominibus absolute loquendo datam esse potestatem ad hoc sacramentum perficiendum ratione necessitatis: tamen non omnibus data est absoluta facultas seu licentia illud administrandi, quocumque modo & extra necessitatem: neque omnes sunt diuino iure destinati, ut tanquam ministri ex officio hoc munus possint præstare: & hoc vocamus in præsentia ius administrandi sacramentum, quod est veluti capacitas proxima per se requisita ad tale ministerium. Ut autem breuiter respondeamus, possunt breuiter distingui quatuor personarum ordines, scilicet Episcopus, Presbyter, Diaconus, & quilibet alius Diacono inferior.

1. Conclus. Primo ergo certum est, Episcopum iure suo & ex vi suæ Ordinationis, esse aptissimum ministrum huius sacramenti. Hoc per se notum est, & à fortiori constabit ex dicendis.

2. Conclus. Secundo est certum, sacerdotem ex vi suæ consecrationis esse posse ordinarium ministrum huius sacramenti, ut hic docet D. Thom. artic. 1. & 2. & ex v. su. Ecclesiæ satis constat, & ex Clemente Romano, Ignatio, Epiphonio, Isidoro, & alijs, quos statim referemus. Denique Concilium Florentinum hoc sensu dixit: Minister huius sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. Ratio vero est optima, quam hic attigit D. Tho. quia sacerdos habet potestatem in corpus Christi verum: ergo consequenter recipit potestatem in corpus Christi mysticum, saltem quæ necessaria est vox vi consecrationis, quæ alias dici solet potestas Ordinis, & respectu illorum sacramentorum, quæ communia sunt populo Christiano, & ad remissionem peccatorum, & communem eius profectum ordinantur. Quod addo propter sacramentum Confirmationis, quod propter specialem rationem solis Episcopis ordinarie reseruat. Unde sumitur confirmatio. Nam sacerdos est ordinarius minister sacramenti Eucharistiæ, quod ad incrementum spiritualis vitæ institutum est. Habet etiam potestatem ordinis ad sacramentum Pœnitentiæ necessariam, quod est ad reparandam spirituales vitam. Ergo multo magis illam habebit ad Baptismum administrandum, per quod datur spiritualis vita. Denique Sacerdos est in statu & ordine constitutus, in quo esse potest ordinarius pastor animarum: ergo necesse est, ut ex vi suæ consecrationis aptus sit ad regenerandos homines in Christo.

Conc. Flor.

Ratio. Sed contra: nam Presbyter non potest Baptismum

Obiectio.

ministrare, nisi facultate sibi ab Episcopo concessa, ergo non proprio iure suo potest hoc ministerium usurpare. Antecedens patet ex Hierony. contra Luciferia & Tertull. lib. de Baptif. dicentibus, ius baptizandi esse penes Episcopum, communicari autem Presbytero, & Diacono, non nisi ex facultate Episcopi propter honorem Ecclesiæ: vbi nihil amplius videtur tribuere Sacerdoti, quam Diacono: qui tamen non habet proprium ius baptizandi, ut statim dicemus. Et confirmatur. Nam per baptismum recipiuntur homines in Ecclesiam, & sunt membra eius: decet autem, ut potestas & ius admittendi homines ad Ecclesiam sit penes principes & supremos pastores Ecclesiæ, ut sunt Episcopi: & hoc saltem videtur probari illis verbis Christi, Euntes, docete omnes Gentes, baptizantes eos, &c. Nam ibi locutus est ad vndecim Apostolos, ut Matth. dicit, quorum successores sunt Episcopi.

Respondetur, distinguendam esse (ut dixi) potestatem ordinis respectu sacramenti, & potestatem iurisdictionis, respectu eius, cui dandum est sacramentum. Sacerdos ergo ex vi suæ Ordinationis habet sufficientem potestatem, ut valide & digne ministraret hoc sacramentum, & quo ad hoc non pendet ab Episcopo, nec indiget concessione eius, & in hoc superat Diaconum, ut iam dicemus. At vero ultra hanc potestatem requirit iurisdictionem in personam, ut licite ille ministraret hoc sacramentum: & quoad hanc, pendet ab Episcopo, tanquam à superiori pastore, in quo est aliqua similitudo inter Diaconum & Sacerdotem: & de hac intelligendi sunt prædicti Patres: & hæc est sufficit ad conuenientem ordinem & debitum Ecclesiæ regimen. Denique facile concedi potest, hoc esse consentaneum prædictis verbis Christi, quæuis, ut dixi, non satis constet, hunc esse sensum illius loci, quia neque constat, Christum locutum esse de potestate iurisdictionis, sed de præcepto vrendi baptismate inquit etiam constat locutum esse ad solos Apostolos: quia licet Matthæus, tantum vndecim Apostolorum mentionem faciat, tamen non excludit discipulos alios. Est autem probabile, ut inferiori tomo diximus, agentes de Resurrectione Christi, apparitionem illam coram alijs multis discipulis factam esse.

Tertio, dicendum est, Diaconum per se ac iure diuino ordinario non posse administrare hoc sacramentum ex vi suæ Ordinationis: esse tamen capacem huius ministerij ex concessione seu delegatione Episcopi aut Sacerdotis. Vtraque pars est certa, & prior quidem satis colligitur ex definitione Concilij Florentini. Nam dicens, Presbyterum esse ordinarium ministrum, cui ex officio competit baptizare, satis significat, nulli interiori ministro hoc conuenire. Atque idem docet Clemens Romanus, libro 3. Constitutione. capite 11. dicens, Sed neque reliquos clericos baptizare permitimus, sed solos Episcopos, & Presbyteros, ministrantibus illis Diaconis, & libro 8. capite 2. Nam nec Diacono fas est (inquit) offerre sacrificium, vel baptizare. Idem docet Ignatius Epist. 13. ad Heronem Diaconum, & Gelasius Papa Epistola 1. ca. 9. & habetur in cap. Diacon. 93. destinct. & Isidorus libro secundo, de officiis, capite 24. & habetur in capite. Constat. de Consecratione, distinct. 4. Idem Epiph. hæref. 79.

Ratio vero est, quam hic D. Thomas, art. 2. indicat, quia ordinaria potestas Ordinis supra corpus Christi mysticum manat ex potestate supra corpus Christi verum: & artic. 1. ex ipso nomine Diaconi hoc colligit: quia Diaconus ad hoc ordinatur, ut Episcopo & Sacerdoti deseruiat, seu ministraret in sacramentorum dispensatione: non ergo constituitur tanquam ordinarius minister alicuius sacramenti. Denique per Baptismum remittuntur peccata & congregantur homines intra Christi Ecclesiam, ergo per se pertinet hoc munus solum ad eos, qui possunt

esse Ecclesie pastores: huiusmodi autem sunt Sacerdotes, & non Diaconi.

Obiectio. Sed contra. Nam in Pontificali Romano in Ordinatione Diaconi dicitur, Diaconum debere baptizare, & predicare. Respondetur, hinc probari alteram partem conclusionis positam. Quamuis enim Diaconus ex vi suae ordinationis per se non constituitur ordinarius minister huius sacramenti, sit tamen aptus, ut ei possit hoc ministerium delegari ab Episcopo, vel Presbytero, ut magis in seq. conclusione declarabitur.

Conclusio. Quarto igitur dicendum est, nullum hominem Diacono inferiorem habere aliquod ius, seu capacitatem proximam ad digne ministrandum hoc sacramentum: nec iure ordinario neque ex delegatione Episcopi, vel Sacerdotis. Haec etiam assertio est D. Thom. & communis omnium cum August. li. 2. cont. Parmen. cap. 13. Et probatur sufficienter ex dictis, nam ostensum est ordinarium ius baptizandi ad Episcopos, vel Presbyteros pertinere, & non extendi ad Diaconos: multo ergo minus spectabit ad inferiores. Rursum, potestas ad hoc ministerium ex delegatione peragendum specialiter datur Diacono ratione suae ordinationis, ergo non conuenit ceteris: qui tali ordine carent.

Difficultas. Sed est difficultas in explicanda differentia, quae in hoc est inter Diaconum & inferiores: videtur enim esse nulla, respectiue & cum proportione loquendo, ut enim fateamur, Diaconum in hoc ceteros superare, quod in absentia Sacerdotis ipse praefendus est reliquis in hoc ministerio: quia est sacrator minister: tamen hoc modo etiam Subdiaconus respectu inferiorum potest dici minister huius sacramenti, quia in absentia Diaconi & superiorum praefendus est omnibus inferioribus: quia est sacrator illis. Rursum si loquamur extra casum necessitatis, vel quando est copia Sacerdotis, sicut inferiores non possunt ministrare, nec iure ordinario, neque ex delegatione Sacerdotis: ita neque Diaconus, quia non potest ei committi hoc ministerium, sine urgente necessitate. Quae est ergo differentia?

Solutio. Respondetur, duplicem esse differentiam: vna est absoluta in ordine ad solemnem Baptismi administrationem. Nam haec ex rationabili causa committi potest Diacono in casu necessitatis: immo si necessitas urgeat, & Sacerdos sit absens, potest ipse iure suo ministerium usurpare, ut docet gloss. in capit. Diaconos, verbo, Necessitas, 93. dist. At vero inferioribus non potest committi propter illam necessitatem, sed ea urgente, possunt tantum priuatim baptizare. Quae differentia colligitur ex citatis Decretis, & ex his quae adduximus de Ordinatione Diaconi ex Pontificali Romano. Videtur autem haec differentia stabilita potius iure Ecclesiastico, quam diuino: tum quia, neque in Scriptura aliquid legitur, unde possit haec differentia colligi: nam sicut Actor. 8. legitur, Philippum Diaconum baptizasse, ita etiam ca. 9. legitur, baptizasse Ananiam, quem laicum fuisse significat Clemens libr. 8. capit. 52. & utrumque dicit ex speciali Christi dispensatione baptizasse, neque etiam ex traditione colligi potest, hanc differentiam esse diuino iure introductam: Tum etiam, quia sicut solemnitas & caeremonia Baptismi Ecclesiastico iure instituta sunt, ita eodem iure videtur praescriptum, quod tales caeremoniae nemini, qui sit inferior Diacono, possint committi: immo hoc videtur pertinere ad quandam ritum ipsius Baptismi. Non dubito tamen, quin ex dispensatione summi Pontificis hoc solemne ministerium alicui non Diacono committi possit: quia nullum est sufficiens fundamentum, ad negandum Pontifici hanc potestatem. Non tamen nego, quin haec Ecclesiastica ordinatio valde consentanea sit iuri diuino, & in illo habeat aliquod fundamentum, quatenus ex intentione diuini iuris ad hoc ordinatur Diaconus, ut sit specialis minister Presbyteri, ut &

illius ministerio utatur in rebus sacris peragendis, & possit etiam ei committere aliquod sacerdotale ministerium, ad quod non est absolute necessarius sacerdotalis character, quando subest causa legitima. Exemplum accommodatissimum est in dispensatione Dominici Corporis, quae potest Diacono committi, non vero Subdiacono, ut infra dicemus ex Concilio Niceno, capite decimo quarto & Concil. Arelat. capite decimo quinto, quod quidem consentaneum est iuri diuino: absolute tamen iure Ecclesiastico est institutum.

Secunda differentia est in priuata administratione Baptismi ob necessitatem. Nam in primis facilius committi potest Diacono, quam inferiori: quia iam est aliquo modo ratione sui Ordinis ad hoc deputatus: unde etiam in praesentia Sacerdotis aliqua esse potest causa sufficiens ad committendum hoc ministerium Diacono, quae non satis est, ut inferiori committatur: ut, verbi gratia, ob grauiorem aliquam occupationem, possit interdum Sacerdos committere Diacono, non vero Subdiacono, vel inferiori. Deinde, quamuis vera sit illa respectiua differentia, supra inter argumentandum posita, non est tamen omni ex parte aequalis proportio: nam in absentia superiorum, Diaconus, veluti iure suo praefendus est omnibus inferioribus, ita ut inuersio huius Ordinis non solum sit indecens ratione huius sacramenti, sed etiam sit quaedam usurpatio iuris alieni. At vero Ordo inter ceteras personas inferiores Diacono, solum fit ex decencia quadam, non vero ratione iuris, quod aliquis eorum habeat ad ministrandum hoc sacramentum: adeo ut probabile sit inuersionem huius Ordinis in his inferioribus personis inter se non esse peccatum mortale secluso contemptu, cum tamen respectu Diaconi, non sit dubium, quin res sit gratis, de qua re dicturi sumus infra in disput. morali, ubi explicabimus peccata, quae in hoc ministerio committi possunt.

SECTIO III.

Verum minister Baptismi esse debeat vna tantum persona, vel possit ex multis imponi.

Titulus
questio
explicita
Variis modis potest intelligi, eundem hominem a multis simul baptizari. Primo, ita ut a singulis integre baptizetur, vnoquoque per se, & ablente, & totam formam proferente, & absolutam intentionem baptizandi habente independentem ab alio: in quo Baptismi modo non est vnus minister ex multis personis compositus, sed sunt plures integri, seu totales ministri baptizantes eandem personam. Secundo modo intelligi potest, ut plures concurrant partialiter, idque duobus aliis modis: primo, diuidendo inter se ipsum actum externum, ita ut vnus abluat, alter proferat formam, vel quod vnus proferat, verbi gratia illa verba, Ego te baptizo, alius vero addat, In nomine Patris, &c. vel etiam si fieri potest, vnus abluat partem vniam, alius vero aliam. Secundo, solum ex intentione sua partialiter concurrat, ita ut licet vterque lauet, & proferat totam formam: tamen vterque intentionem habeat non baptizandi sine alio, siue interius tantum eam intentionem concipiant, siue aliquo modo in forma expriment, dicendo, Nos te baptizamus, & de singulis his modis aliquid dicendum est.

Ratio dubitandi est a primis.
Circa primum ratio dubitandi esse potest: primum, quia vel in eo casu vterque illorum baptizat: vel alter tantum, vel neuter. Non primum: quia non possunt dari eiusdem effectus plures causae totales. Non secundum: quia non est maior ratio de vno, quam de alio: ergo tertium, atque ita repugnabit, Baptismum dari a multis ministris. Secundo, quia vel ille Baptismus est vnus, vel plures: vnus esse non

V 4 potest.

potest, quia ibi sunt plures materiae, plures formae, & plures ministri totales: neque etiam possunt esse plures: quia vnus necessario destrueret alium: quia Baptismus caderet in subiectum baptizatum, quod est incapax sacramenti Baptismi, vt supra dictum est: ergo verius dicitur, nullum ibi esse sacramentum. Tertio singamus, vtrumque ministrum sic baptizantem, habere intentionem non baptizandi si alius baptizet: baptizandi vero, alio non baptizante: & tunc inquiri, an sit validus Baptismus, ab aliquo eorum datus, necne. Non potest dici, quod sit validus, quia, neque vterque potest esse validus, cum sit contra intentionem baptizantium, neque alter tantum, cum non sit maior ratio de vno, quam de altero. Si autem alter eorum inuvalidus est, necessario dicendum videtur alium esse validum, quia concurrunt materia, & forma necessaria, & intentio ministri, quae licet conditionata fuerit, tamen transit in absolutam, cum supponatur conditio iam posita: ergo nihil deest, quo ministerialis Baptismus validus sit: nisi dicamus, hoc ipso esse nullum, quod multi ad illum efficiendum concurrere tentarunt: ergo hoc necessario dicendum est, cum fieri non possit, vt vnus potius, quam alius validus sit.

Conclusio. Nihilominus communis sententia est, nihil repugnare, quo minus plures homines hoc modo ad baptizandum concurrant. Haec est sententia D. Tho. hic, & omnium Theologorum, quos statim referemus. Et ratio est, quia in eo casu vnusquisque illorum baptizantium est ex se sufficiens ad ministrandum baptismum, & tamen in actione, quam in sua intentione operatur, vt integer minister, & applicat omnia necessaria ad sacramentum conficiendum: ergo vere ac valide conficit illud. Patet consequentia: quia nihil est, quod impediat: nam solus concursus seu concomitantia alterius non potest impedire: quia non habet actionem contrariam, aut repugnantem, sed omnino similem. Sicut in sacramento Eucharistiae conficiendo, licet plures hoc modo concurrant, non se impediunt, quo minus sacramentum factum teneat, vt ex Ecclesiae consuetudine constat, sicut infra dicemus. Et haec ratio euidentior fiet ex solutionibus argumentorum, quae in contrarium obiecta sunt.

Respondetur ad primam dubitationem. Ad primum, distinctio vt edum est: aut enim vterque illorum in eodem instanti perficit omnia necessaria ad Baptismum, vel vnus prius tempore absoluit, quam alius. Si priori modo contingat, dicendum est, vtrumque illorum baptizare in eo casu, imo singulos eorum integrum Baptismum conferre: quia vterque applicat integram formam, & materiam independentem ab alio. Quomodo vero illi duo ministri sint causae totales eiusdem effectus, dicitur statim. Si autem alter illorum prius absoluat omnia necessaria ad sacramentum, ille solus perficit sacramentum, & non alius, si debita intentione baptizet. Ita docet Diuus Thomas, hic, quem sequuntur omnes, & conuincitur illa ratione, quia Baptismus iterari non potest: & quod subiectum semel baptizatum incapax est vterioris Baptismi: sed quando alter ministrorum prius tempore perficit sacramentum, iam subiectum illud est baptizatum. Ergo quid quid postea sit, irritum est, & inane. Confirmatur ac declaratur. Nam si post consummatum vnum Baptismum alium inchoaret, nihil faceret, quia subiectum iam est incapax: ergo eadem ratione, quamuis inchoauerit simul suum Baptismum, antequam subiectum esset baptizatum, tamen si in instanti in quo illud erat perfecturus, iam inuenit subiectum baptizatum, non poterit illum perficere, quia iam subiectum non est capax illius perfectionis: sicut si subiectum deficeret seu moreretur ante perfectum sacramentum, non posset perfici, sed maneret irritum & inane ex defectu subiecti: eadem enim est ratio, quacumque ex causa subiectum fiat incapax sacra-

menti. Supponit autem totus hic discursus, Baptismum prius tempore consummatum statim esse validum, quod est certissimum, quia concurrentibus omnibus necessarijs ad sacramentum: sacramentum perficitur, hic autem concurrunt omnia necessaria, vt Baptismus fiat, si minister debitam intentionem habeat. Quod ideo addo, quia si haberet intentionem non baptizandi, donec alius absoluat omnia necessaria ad sacramentum: in eo casu, nihil perficeret is, qui prius absoluit, quia non habet absolutam intentionem, sed conditionatam: & conditio non est impleta in eo instanti, in quo ipse perficit omnia ex parte sua necessaria ad sacramentum: diximus autem supra, agentes de sacramentis in genere, sacramentum datum sub conditione de futuro, nullum esse, quia neque est validum in instanti, in quo deberet perfici, quia non est impleta conditio, nec postea, quia iam non extant materia, nec forma, ex quibus perfici deberet. Quocirca in praedicto casu, ille minister, qui posterior absolueret necessaria ad Baptismum illum perficeret, atque conferret, quia iam ex parte subiecti non esset incapax, & alij de adhererent omnia necessaria: Quia licet intentio esset conditionata, tamen iam conditio esset impleta. Quia iam supponimus alterum absoluisse omnia ex parte sua necessaria, & haec tantum erat conditio apposita, vt supponitur. Si autem conditio esset, quod alius verum perfecisset sacramentum, redit difficultas tacta in tertia obiectione. Atque hinc constat verissimum esse, quod hic D. Thom. dixit, illicitum esse, per se loquendo, hoc modo plures baptizare, non solum, quia superfluum est, & praeter morem Ecclesiae, sed etiam, quia sine causa se exponunt morali periculo, vt alter eorum nihil efficiat, & materialiter saltem Baptismum repetat.

Ad secundam difficultatem Diuus Thomas hic, articulo sexto plane sentit, vnum & eundem Baptismum ab eodem ministro in eo casu conferri: & rationem indicat, quia Christus, qui est vnus, interius baptizans, vnum sacramentum per vtrumque confert. Idem sentit Scotus, distinctio. 6. quaestione 2. & Soto distinctio. quarta, articulo. 4. iuxta quam opinionem tollitur omnis difficultas, seu periculum rebaptizandi in eo casu. At vero Gabriel. in 4. distinctio. 6. quaestione. 1. articulo. 7. dubitat. 4. existimat, ibi fieri duo Baptismata, & idem videtur supponere Caietanus, hic articulo. 6. Et valde fauet D. Thom. quaestione praecedenti, articulo. 5. ad 4. vbi dicit, agens de hac eadem re, actus multiplicari secundum multiplicationem agentium, si perfecte ab vno quoque agantur. Sed in praesenti casu, de quo agimus Baptismus perfecte datur ab vno quoque agente, ergo multiplicatur iuxta multiplicationem agentium. Atque eandem vim habere videtur obiectio facta: quia ibi sunt duae formae integre, a quibus potissimum sumi videtur constitutio, & distinctio sacramentorum, praesertim eorum, quae in vsu consilunt. Rursus sunt duae materiae, nam sunt duae ablutiones, maxime si Baptismus fiat per asperisionem vel infusionem aquae: sunt ergo duo Baptismata. Nam quodlibet totum multiplicatur multiplicatis partibus, ex quibus intrinsece constat, vt videtur referre, quod subiectum sit idem. Nam vnitas sacramenti non sumitur ex subiecto: sicut neque entitas eius. Et iuxta hanc sententiam respondendum est ad obiectionem factam, vtrumque illorum Baptismatum fieri circa subiectum non baptizatum, quia vnum eorum no supponit alterum nec tempore, nec natura: & ideo vtrumque potest esse validum: quia veritati, & valori Baptismi non repugnat consortium alterius, qui omnino simul fiat, sed solum repugnat fieri circa subiectum iam baptizatum. Atque hinc facile soluitur iuxta hanc opinionem alia difficultas tacta de pluribus causis totalibus eiusdem effectus. Duo enim effe-

Etus horum ministrorum possunt hic considerari. Prior est, ipsum sacramentum, cum enim fiat à ministro, vere ac proprie dicitur effectus eius, & hoc modo non est vnus effectus à duobus causis, quia sunt duo sacramenta à duobus ministris. Posterior est character seu gratia sacramentalis: & hic absque vlla controuersia est vnus tantum: quia illa receptio est per modum vnus: & quia non est homo capax characterum baptismalium, nec gratia sacramentalis Baptismi iterari potest, proprie loquendo, per multiplicationem eius, quamuis possit eadem restitui, si amittatur, de quo alias. Et tunc est difficultas, quomodo ille vnus effectus fiat à duobus ministris, seu à duobus sacramentis. Ad quam respondet Caietanus, quod licet in causis principalibus, & quæ operantur in propria virtute, repugnet eundem effectum esse à duobus causis totalibus: tamen non repugnat esse à duobus instrumentis, quando vnum est principale operans per vtrumque eorum. Sed si loquamur in ordine ad diuinam potentiam absolutam, reuera neutrum repugnat, quia potest idem effectus fieri pluribus dependentiis & actionibus. Si vero sermo sit de potentia ordinaria, & consentanea rebus ipsis, sicut est superuacaneum, plures causas principales, & ex se sufficientes ad vnum effectum simul efficere illum pluribus actionibus totalibus, ita videtur superfluum fieri, & plura instrumenta totaliter in suo genere concurrentia, id est, efficientia per plures actiones totales in suo genere. Quocirca in presenti casu censo, hunc characterem & sacramentalem gratiam posse fieri à Deo per vtramque formam à ministris prolatam, vel pluribus actionibus vel vna tantum, dimanante simul ab vtroque sacramento. Et si priori modo fiat, sacramenta concurrere, vt instrumenta totalia, quia à singulis eorum est tota actio, quæ sufficit ad effectum: si autem fiat posteriori modo, tunc concurrere, vt instrumenta partialia: quia licet virtute (vt sic dicam) sint totalia tamen actu vnum non influunt actione independentem à consortio alterius: quia non est maior concursus necessarius. Cum ergo vterque istorum modorum sit Deo possibilis, incertum est, quo illorum vtatur, quamuis posterior videatur minus miraculosus, facilius, & conformior ordinario modo operandi. De qua re iterum dicemus in materia de Eucharistia, vbi similis quaestio redibit. Atque hæc posterior sententia in hunc modum explicata, videtur satis probabilis, & fortasse non est contraria D. Thomæ, immo vix potest hic esse diuersitas in re, sed solum in modo loquendi, quod attinet ad vnitatem, vel pluralitatem sacramenti. Materialiter enim (vt sic dicam) negari non potest, quin ibi sint plures res significantes & efficientes gratiam, quæ inter se non vniuntur per modum materiae & formæ, neque alio genere compositionis: sed sunt potius distinctæ formæ, & materiae distinctæ. Hoc ergo modo sunt plura sacramenta: tamen formaliter atque moraliter, quia in eodem subiecto sunt simul & in ordine ad eundem omnino effectum efficientem & significandum possunt dici vnum sacramentum, & vnum sacrum signum, quatenus totum illud signum externum, nec plus efficit, nec plus significat, quam si esset ex vnica simplici forma & materia compositum.

Ad hunc

Ad tertium responderetur, quando intentio ministrum se ipsa inuoluit contradictionem quandam, seu inexticabilem perplexitatem, & est quodammodo se falsificans (vt more Dialecticorum loquamur) tunc talem intentionem esse contra veritatem sacramenti, quia quodammodo se ipsam destruit & impedit: non est autem hoc sensu interpretanda intentio, nisi manifeste constet de voluntate & proposito operantis. In presenti ergo, quando vterque ministrorum vult baptizare, dum modo alius non baptizat, & non alias, duobus modis exponi potest ta-

lis intentio, vt non inuoluit repugnantiam. Primus est, dum modo alius non prius baptizat, & ita est non solum sufficiens intentio, sed etiam prudens, ad euitandum periculum intentæ rebaptizationis. Et in eo casu, qui prius absoluit, pericit sacramentum: & si simul absoluant, vterque pericit, quia conditio posita in vtriusque intentione impletur in ipso met instanti, in quo perficiendum est sacramentum. Secundus sensus conditionis appositæ esse potest, dum modo alius non absoluerit materiam & formam sacramenti in eo instanti, in quo est à me perficiendum: & tunc si vterque simul absoluat, neuter baptizat: quia neutrius conditio impletur: est tamē talis conditio imprudens, quia sine causa volunt in eo casu irritum facere sacramentum. Multo vero magis est imprudens & inepta intentio, si apponatur conditio in alio sensu perplexo & inuolente repugnantiam, Vt est ille tactus in argumēto: & tunc etiam vtrumque sacramentum nullum est, non quia ministri propter solam multitudinem personarum se impediunt, sed quia habent intentionem perplexam, & ideo inutilem & inefficacem, vt Palu. & Soto etiam indicant.

Palu.

Soto.

a. Pars huius

sectionis:

Marfil.

Caiet.

In Secunda parte huius sectionis videndum est, an possit Baptismus ita à duobus conferri, vt alter abluat, alter vero proferat formam: Theologi enim varie in hoc sentiunt, Marfilus enim in 4. q. 4. arti. 8. dub. 11. & Caietan. hic, quamuis cunctanter, in eam tamen partem magis inclinant, quæ affirmat huiusmodi Baptismum validum esse: quia vt supponimus, huiusmodi duo homines habent intentionem baptizandi, & applicant veram materiam, & veram formam: ergo nihil deest ad veritatem Baptismi. Probatur consequentia, quia solum potest ob stare, quod ibi integer minister, veluti componitur ex duplici persona. Hoc autem nullum impedimentum esse videtur: primo quidem, quia neque ex ipsa rei natura hoc repugnat, neque ex institutione, neque ex aliqua significatione, aut representatione sacramenti. Primum patet, tum quia sacramenta nullum habent esse, neque virtutem agendi ex sola natura rei, sed ex institutione, tum etiam, quia in aliis causis & effectibus sæpe contingit, causam integram componi ex pluribus suppositis seu personis: sæpe etiam contingit, principalem causam vt pluribus instrumentis, vel ad præparandam materiam, vel ad inducendam formam. Quintimo ita hæc sacramentorum materia non est hoc nouum: nam in Matrimonio duo contrahentes sunt ministri vnus sacramenti, & in Penitentia, penitens est, qui exhibet materiam: Sacerdos vero, qui inducit formam. Secundum patet, quia nulla est auctoritas, vel traditio sufficiens, ex qua possit talis institutio colligi: nec vero est vlla ratio, vnde colligatur, vt ex dictis constat. Verba autem Evangelij Baptizantes eos in nomine Patris, & c. satis verificantur, siue vtrumque fiat ab vna persona, siue à pluribus concurrentibus per modum vnus. Dices, id colligi ex verbis formæ, Ego te baptizo, quæ erunt falsa, si alter baptizat, alter proferat formam. Sed contra, quia huiusmodi significatio formæ non est de essentia huius sacramenti: nam sufficit forma Græcorum, Baptizetur seruus Christi. Item sufficit, si in plurali dicatur, Nos te baptizamus, & vtroque modo nulla est falsitas in significatione formæ, etiam si Baptismus prædicto modo à duobus conferatur. Tertium de significatione seu representatione sacramenti scilicet, quod ex parte illius nihil obstat, probatur: quia non est necesse, vt in ministro ipso, siue sit vna persona, siue plures, sit aliqua specialis significatio. Quæ est enim hæc necessitas, aut vnde colligi potest? Deinde etiam si admittamus, quod Diuus Tho. ait, quod sicut vnus est Christus, qui est principalis baptizans, ita vnus esse debet minister, qui illum representat: Responderi potest, debere quidem esse vnum ministrum, sed non simplicem: nam licet sit

Obiectio

com-

compositus ex dupli persona, tamen vtraque concurrat per modum vnus ministri, & in hoc satis representat Christum principalem Baptismi auctorem, cuius vicem gerit. Et confirmatur tandem: nam hic modus baptizandi interdum potest esse necessarius, vt si infans sit in extrema necessitate, & tantum ad hinc dua persona, quarum altera loqui non possit, altera vero non possit ablucere: Baptismus autem est sacramentum maxime necessitatis: ergo debuit in sua institutione comprehendere etiam huiusmodi ministerij modum.

D Thom.
Alenf.
Bonauen.
Scot.
Gabr.
Rehard.
Palud.
Soto.
Gloss

Nihilominus communis sententia est, Baptismu hoc modo collatum a multis non esse verum sacramentum. Ita tenet D. Tho. hic art. 6. in corpo. & ad 3. & quæst. præced. art. 5. ad 4. & Alex. Alenf. 4. part. qu. 16. memb. 6. Bonauen. in 4. dist. 5. art. 1. q. 1. Scotus dist. 6. quæst. 2. Gabr. q. 1. Richar. dist. 3. art. 4. q. 1. ad 1. Paludanus quæst. 2. art. 2. & Soto, dist. 4. art. 4. atq; idem tenet Glossa in capit. Quorundam. 23. dist. verbo, Imposuisse: quæ hoc colligit ex illo textu, in quo Ordo datus ab Episcopo, & Presbytero simul, Episcopo imponente manus, Presbytero autem benedicente, seu proferente formam, irritus esse declaratur. Cuius generalis ratio (vt illa Glossa inquit) est, quia duo imperfecta non constituunt vnum perfectum. Sed hæc ratio non redditur in textu: nec videtur casus ille similis ei, de quo agimus: quia in sacramento Ordinis conferendo, Presbyter non potest esse minister, & ideo non potest cum Episcopo componere vnum ministerium: & ex hoc solo capite euidens est, illam Ordinationem fuisse irritam: in nostro autem casu quilibet persona concurrere possit esse sufficiens minister sacramenti Baptismi. D. Thom. ergo tres rationes indicat. Prima est iam insinuata, quia in persona ministri debet representari persona Christi, & ideo vna esse debet, sicut Christus est vnus. Contra quam instat Durandus, quod principalior causa Baptismi est Trinitas personarum, ergo sicut in principali causa sunt plures persone, ita esse possunt in ministris. Sed hoc facilius habet solutionem, tum quia Trinitas non operatur in Baptismo per se, vt est plures persone, sed vt est vnus Deus: tum maxime, quia minister immediate non gerit personam Trinitatis, sed Christi Dei hominis, cui data est omnis potestas excellentie supra sacramenta. Difficilior videtur obiectio supra facta, quia nulla apparet necessitas, quod vnica persona Christi representetur per vnitatem persone ministri: quia neque hoc sacramentum est ad hoc specialiter institutum: neq; in cæteris sacramentis omnibus hoc reperitur. Adde, si in hoc est aliqua representatio necessaria, satis videri, quod sacramentum vnum non possit a multis personis administrari, nisi quatenus vnum integrum ministerium compleat. Nam per hoc indicant vnam virtutem principalis agentis, in qua operantur. Secunda ratio D. Thomæ est, quia actus baptizandi multiplicantur secundum multiplicationem agentium, si ab vnoquoque perfecte agantur. Sed actus baptizandi debet perfecte agi a quocumque agente: ergo non potest idem Baptismus fieri a multis imperfecte, & incomplete concurrentibus. Minor probatur ex veritate forme: nam hoc significant illa verba: Ego te baptizo, quæ si ab vno solo proferantur, & ille non lauat, neque integrum sacramentum ministrat, falsa erunt: si autem fiat variatio in forma, & dicitur: Nos te baptizamus, iam mutabitur substantialiter forma, quia aliquid ei additur, quod in illa non continetur, quia illa forma quæ ipse tenet: Ego & ille te baptizamus. Et præterea (vt hic ait D. Thom. ad 3. quæ est eius tertia ratio) non euitatur fallitas, quia si alter non lauat, reuera non baptizat: tum etiam, quia si neuter cõficiat totum sacramentum, neuter dici potest baptizare, ergo multo minus dici potest de vtroque coplatiue, prout in prædicta forma affirmatur.

1. Ratio D. Thom.

Instantia Durand.

Relictur.

2. Ratio D. Thom.

3. Ratio D. Thom.

Hic vero discursus D. Thom. posset altero è duobus modis eludi. Primo, si cum Caietano teneamus illis verbis formæ: Ego te baptizo, non significari idem, quod ego te exterius, sensibilibiter, & corporaliter lauo: sed ego tribuo tibi Baptismi sacramentum, quo sensu supposito vere ab illis duobus dicitur: Nos te baptizamus, quia tunc forma non facit sensu copulatiuum, & diuisiuum, (in quo sensu procedit obiectio D. Thomæ) sed facit sensum complexiuum, & hoc sensu est vera locutio: quia non est necesse, vt de singulis personis verum ut dicere, integre & in solidum baptizare: sed solum vtramque per modum vnus concurrere ad illud sacramentum perficiendum, & vtramque suam qualemcumque operam adhibere: & hoc verum est, & ita euitatur omnis fallitas in forma: mutatio autem illa non videtur substantialis, quia nihil per eam tollitur, quod sit de substantia forme, neque etiam aliquid additur, quod corrumpat substantialem sensum. Solum enim mutatur, quod significetur administratio sacramenti, vt ab vno, vel à duobus procedens: & hoc contentum, non esse de substantia. Quod si contrarium in prædicta ratione supponitur, petitur principium, seu supponitur, quod probandum est.

Etiam

Hæc tamen responsio procedit, vt existimo, ex falso fundamento. Nam illa verba forme, vt in superioribus dixi, primo, & per se significant actionem sensibilem lauandi, & de illa in primis veritanda sunt: tum quia hæc est propria significatio talium verborum: tum etiam, quia de ratione huius forme est, vt in ea significetur vnus materia: & ideo si alter ministrorum non lauat, non potest vere dicere, Ego te baptizo: nec vterque simul poterunt dicere, Nos te baptizamus. Nec esse est ergo, vt qui proferit illa verba: Ego te baptizo, ipsemet lauet, immo necesse est, vt totam abluitionem etiam necessariam ad sacramentum conueniat. Nam talis debet esse abluio, quæ tam ex institutione, quam ex vi, per illa verba significatur. Et consequenter necesse etiam est, vt qui proferit illa verba, Ego te baptizo, proferat etiam alia, in nomine Patris, &c. quia vt sint pars forme, necesse est, quod determinent verbum baptizandi, & significationem eius: nisi autem ab eodẽ proferantur, reuera non sunt pars eiusdem propositionis, nec determinant, aut eleuat significationem eius ad sacramentalem & mysticam significationem. Atq; hoc modo non paruam vim habet ratio D. Thomæ, suppositis verbis forme, quibus Ecclesia Romana vtitur.

Respond.

Posset tamen aliter responderi, illa verba sub illa significatione non esse essentialia, quia sufficit forma Græcorum, baptizetur seruus Christi, per quam non significatur actio lauandi, vt progrediens ab eodem, qui proferit verba forme, sed solum, vt recipitur in passivo, ergo ex vi talis forme, non est hoc de essentia huius sacramenti: ergo, si abluente vno, alter sub illis verbis formam proferat, nulla est fallitas, nec substantialis mutatio in materia: ergo ex ratione facta non potest probari ibi non fieri sacramentum. Vnde vltimus heri videtur, etiam hanc formam posse in illo casu sufficere. Ille, seu Ioannes te baptizat in nomine Patris, &c. talis enim mutatio non videtur substantialis, cum eundem sensum referre possit, quem forma Græcorum, in qua sicut dicitur absolute: Baptizetur seruus Christi, ita dici potest: Baptizetur a me, seu baptizetur a Petro, vel Ioanne. Nihilominus existimo, rationem D. Thomæ esse valde probabilem, quia verus sensus forme Baptismi non est petendus ex forma Græcorum, sed potius ex forma, qua vtitur Ecclesia Romana: neque est censenda illa forma sufficiens, quæ prolata illis verbis, quibus Ecclesia Romana vtitur, forma esse non potest. Existimo ergo, de essentia huius sacramenti esse vt actio lauandi ab eodem prodeat, qui proferit verba forme,

Etiam

Respond.

forma, prout in Latina forma significatur. Atque in eodem sensu accipienda est forma Græc. nam verbum illud, Baptizetur, non est veluti deprecativum, sed quasi efficaciter operativum. Unde significat actualem operationem, ut exercitam ab ipso profere.

Ratio à priori
 Addo tandem, rationem à priori huius veritatis, petendam esse ex Christi institutione. Non est enim dubium, quin potuerit Christus, vel eo modo instituire hoc sacramentum, quo alia sententia dicebat, vel prout à D. Thoma declarata est institutio. Quæ autem fuerit Christi voluntas, ex sola quidem ratione colligi satis non potest, neque in Scriptura, vel ab Ecclesia aliquid est satis declaratum: si autem spectemus vsum, qui est optimus legum interpres nunquam visum est, vel auditum in Ecclesia, quod Baptismus aliter fuerit administratus, quam ab vno ablutente & proferente formam, & in hoc sensu intellecta sunt verba Christi, Baptizantes eos in nomine Patris, &c. quod scilicet, qui baptizat, id faciat invocando Trinitatem super actionem suam. Rursus, si spectemus formam Latinam Ecclesie (quæ debet esse regula, & mensura cæterarum) in ea satis significatur, hunc fuisse sensum institutionis Christi. Præterea habet institutio sic explicata plenior, & convenientiorem significationem, quo sensu accipienda est prima ratio Divi Thomæ, tamquam congruentia quædam institutionis. Cui etiam addi potest, fuisse convenientem, spiritualem regenerationem ab vna tantum persona perfecti posse, ut in hoc etiam esset diversa à generatione carnali, & quodammodo similior spirituali Dei generationi. Ac tandem hoc fuit etiam convenientem ad evitanda incommoda, & occasiones illudendi sacramento, patiundo seu diuidendo inter se illud ministerium. Et hoc magis constabit respondendo ad fundamentum contrariæ sententiæ.

Ad fundamentum
 Ad primam ergo illius partem, fatemur, hoc non pendere ex solis rerum naturis, sed ex institutione: cur autem hæc fuerit convenientior institutio, iam explicatum est. Atque eadem institutio reperitur in omnibus similibus sacramentis, ut sunt Confirmatio, & Extrema unctio. Ea vero, quæ in argumento adducuntur, non sunt similia: quia in eis materia sacramenti non est proprius actus ministri, ex intentione eius determinandus & sanctificandus per formam, ut cum ea vnum sacramentum constituat: sed in Matrimonio formaliter ac proprie materia est traditio: forma vero acceptatio mutua, & exterius expressa. Et ideo modus talis sacramenti, & respicitur in quibus fundatur, postulant distinctionem personarum: quia oportet, ut qui acceptat alius sit ab eo, qui tradit, & forma ipsa acceptandi talis est, ut ex se supponat traditionem, ut ab altero oblatam. Et idem proportionaliter considerari potest in sacramento Pœnitentiæ, quod per modum iudicij exercetur, in quo oportet reum, & iudicem distinguere, & confessionem fieri à reo, non à iudice, sed supponit potius, ut in eam cadat sententia iudicis. At vero in hoc sacramento (& idem est in Confirmatione, & sacra Unctione) ipse minister exercet totam actionem, quæ est materia sacramenti, & quæ explicatur in forma, ut per eam sanctificetur & determinetur ad significationem sacramentalem. Et ideo oportet, ut ipsemet, qui actionem exercet, suis verbis, suaq; intentione proprium actum informet. Ad secundam & tertiam partem illius fundamenti iam responsum est.

Ad vltimam vero confirmationem de necessitate respondetur, nullam hic esse, si moraliter res consideretur, prout institutio sacramenti requirit: alioqui pari modo dici posset, non esse necessaria verba semper: quia potest esse casus necessitatis, in quo ne mo loqui possit, sed tantum efficere natus, vel signa, quod Paludanus censet probabile: re tamen vera nõ

est, sed omnino contra substantiam sacramenti: alioqui etiam negari posset necessitas aquæ, quia potest occurrere casus, in quo etiam aqua deficiat. Sicut ergo propter huiusmodi euentus rarissimos, non est facta exceptio in institutio Baptismi, sed generaliter facta est, in tali materia & tali forma, ita etiam in tali ministro. Quod si extra casum necessitatis, nullus auderet approbare Baptismum illo modo datum à duobus: ita neq; in casu necessitatis censendus est validus, quia veritas & substantia sacramenti, ut factum tenet non aliam formam, materiã, vel ministrum requirit extra casum necessitatis, quam in illo. Non nego tamen, si occurreret talis necessitatis articulus, posse iuxta aliam sententiam conferri Baptismum, quia melius est accipere Baptismum dubium, & aliquo modo probabilem, quam omnino nullum: esset tamen ille Baptismus sub conditione iterandus, si postea occurreret et oportunitas recipiendi indubitatum sacramentum ab vno & eodem ministro.

r. Corollarij
 Ex his in vniuersum sequitur primo, quacumque ratione duæ personæ concurrant ad sacramentum Baptismi conficiendum, ut partiales ministri, diuidentes inter se externum Baptismi ministerium, nihil conficere. Probatur, tum rationibus factis, tum etiam inductione, quæ ex dictis fieri potest: quia ostensum est, non posse materiam applicari ab vno, & formam proferri ab alio. Obiter etiam probatum est, non posse partem formæ ab vno proferri, partem vero ab alio. Atque idem declaratum est de materia, quæ subest formæ, & per eam significatur. Non potest autem excogitari, præter hos alius modus diuidendi hoc ministerium inter plures personas. Denique, cum non sit maior ratio de vno, quam de alio, excluso vno, pari ratione quilibet alius modus reiiciendus est.

a. Corollarij
 Secundo sequitur, etiam si exterius non diuidant plures personæ inter se ministerium baptizandi, si tamen interiori intentione illud diuidant, ita ut neuter velit baptizare, ut totalis minister, sed solum ut partialis, & ut componens cum altero vnum integrum ministerium, nullum fieri sacramentum. Hæc est sententia Divi Thomæ & communior, & sequitur consequenter ex dictis. Nam probabilis existimamus, Christi institutionem fuisse, ut minister Baptismi integer & totalis sit illa persona, quæ abluat & profert formam: ergo illa intentio non baptizandi nisi partialiter, est contra Christi institutionem. Deinde est contra significationem & veritatem formæ. Nam per eam significat, qui illam profert, se appellare omnia necessaria ad Baptismum conficiendum, scilicet, abluitionem integram, & consequenter integram formam. Ergo, vel habet intentionem veritati formæ contrariam, & ita nihil efficit: vel reuera vult sua actione applicare totam materiam sacramenti proferendo totam formam: & consequenter vult adhibere totum ministerium necessarium ad conficiendum sacramentum: quia minister sacramenti, nihil aliud efficit, quod ad substantiam sacramenti spectet, nisi applicationem materiæ & formæ. Ergo nunquam potest efficere sacramentum, tamquam minister partialis. Et hoc est, quod D. Thom. dicit, quod Baptismus, ut procedit à persona baptizante, est actus perfectus: in quo non petit principium, ut alij obiciunt, quia id non sumit sine probatione, sed ex verbis formæ id colligit, ut declarauimus. Et eodem sensu dixit D. Thom. si duo baptizent sub hac forma, Nos te baptizamus, Sacramentum esse nullum. Intelligendum enim hoc est, si forma faciat sensum complexiuum, accomodatam illi intentioni, qua intendunt solum partialiter baptizare. Secus enim esset, si talem formam proferrent in sensu copulatiuo, cum recta intentione integre baptizandi. nã tunc forma esset sufficiens, quamuis in ea adderetur aliquid non necessarium, scilicet, quod alius simul mecum baptizet, quod in prædicto sensu

